

quinquennio poenitentiam ferant. 24. Sponse sororem corrumpens et corruptionis cum consensu conscië decennalem poenitentiam subeant.

CANONES CONC. NEOCÆSARENSIS AN. EOD. A 16. PP. CELEBRATI. 1. Presbyter uxorem ducens deponatur : fornicans ad poenitentiam redigatur. 2. Nubens duobus fratribus aut sororibus duabus ad mortem usque careat communione. 3. Polygamis successivis poenitentia imponatur. 4. Gratiae tribuitur, si desiderans fornicationem prohibetur ab actu. 5. Catechumenus assistens et peccans remittatur ad audientes; iterato lapsus expellatur. 6. Catechumena prægnans ante puerperium baptizari possit. 7. Presbyter nuptiis bigami non intersit. 8. Maritus adulteræ, ante susceptos ordines, ad hos ne admittatur ; post susceptos, aut illam dimittat, aut privetur ministerio. 9. Presbytero, peccatum ante ordinationem commissum confessio, prohibita sit oblitorum consecratio. 10. Diacono in simili casu auferatur ministerium. 11. Presbyter non ordinetur ante annum tricesimum, quo Christus baptizatus docere cœpit. 12. Clinicus baptizatus non fiat Presbyter; nisi aptorum raritas id exigat, et morum probitas mereatur. 13. Presbyteri agrorum vel alterius regionis in urbe aut regione alia non sacrificent. Chorpiscopi, qui sunt ad formam et exemplum discipulorum Christi, honorentur. 14. Septem duntaxat sint civitatis etiam magna Diaconi.

CANONES CONC. GANGRENSIS POST AN. 325. A 16. PP. CELEBRATI. Anathema dicitur. 1. Damnanti nuptias : 2. Carnis mandationem omnem reprobanti : 3. Servo dominum, occasione Religionis, spernenti : 4. Presbyteri conjugati oblationem confemmenti : 5. Ecclesiam vel Ecclesiasticos conventus despicieni : 6. Congregationem extra Ecclesiam cum contemptu Ecclesiæ agenti : 7. Fructus alibi, quam in Ecclesia offerenti : 8. Præter Episcopum aut ejus vicarium, fructuum oblationem acceptanti : 9. Virginitatem matrimonio, tanquam bonum malo præferenti: 10. Virginis conjugatos arroganter despicieni : 11. Agapas penitus despicieni : 12. Reponenti justitiam in speciali amictu pallii, et vulgari vestitu utentes vituperanti : 13. Mulieri, licet pro continentia, vestem virilem usurpanti : 14. Uxori, ex nuptiarum contemptu, virum relinquenti, aut matrimonium solventi: 15. Religionis occasione, proles negligenti: 16. Prolibus parentes non honorantibus: 17. Mulieri, obedientie declinandæ causa, comam abscenti: 18. in die Dominicæ jejunanti : 19. Jejunia Ecclesiæ non observanti : 20. Conventus et sacra ad sepulchra Martyrum execranti.

CANONES CONC. ANTIOCHENI AN. 341. A 30. PP. CATHOLICIS CELEBRATI. 1. Statutum Nicenum de Paschate servetur. 2. In Ecclesia presentes communient; cum excommunicatis autem, vel per domos minime. 3. Clerici, præter conscientiam sui Episcopi, in alia Diœcesi non morentur. 4. Depositum aut damnati ministrare non audeant. 5. Seorsim ab Episcopo congregationem faciens deponatur. 6. Excommunicatus non recipiatur, nisi a proprio Episcopo vel a Concilio. 7. Clerici peregrini non recipientur sine epistola Formata. 8. Formatas dare non licet Presbyteris. 9. Episcopi suas tantum Diœceses current: Metropolitanis subsint. 10. Chorpiscopi, licet ordinati, Presbyteros et Diaconos non ordinent; Subdiaconos tamen et Minoristas, quin et Episcopum civitatis, cui subjicitur, ordinare licet. 11. Episcopi aut Clerici non adeant Imperatorem, nisi necessitatis causa et consulto Metropolita. 12. Idem damnati ad Imperatorem non recurrant, sed ad majus Episcorum Concilium.

13. Episcopus non ordinet subditum alienæ Diceesis, absque Metropolitæ litteris : alias ordinans et ordinatus incurrat poenam. 14. Si dissideat Concilium in judicio de Episcopo, Metropolitanus e vicina Provincia judices alios evocet. 15. Episcopus a Concilio unanimiter damnatus apud alios non judicetur amplius. 16. Episcopus vacans vacantem Ecclesiam sine Concilio, cui Metropolitanus adsit, occupans abjiciatur. 17. Episcopus Ecclesiæ datus, eamdem vero non recipiens, communione privetur. 18. Sine culpa propria non receptus poena sit liber. 19. Episcopus præter synodum et præsentiam Metropolitani non ordinetur. 20. Concilia Provincialia, celebrantur bis in anno. 21. Episcopus non transeat nec transferatur a suo ad alium Episcopatum. 22. In altera Diœcesi aut alterius Diœcesis Clericos Episcopus non ordinet. 23. Episcopus non constitutus sibi successorem. 24. Rerum Ecclesiæ Episcopus sit duntaxat curator, suarum autem dominus. 25. Potestatem tamen habeat dispensandi res Ecclesiasticas.

CANONES CONC. LAODICENI AN. 370. A 20. PP. CELEBRATI. 1. Secundo nubentes subsint pœnitentia sed breviori. 2. Peccatori pœnitenti et satisfacienti detur communio. 3. Neophyti non ordinentur. 4. Præsentibus Catechumenis ordines non conferantur. 5. Clerici usuras non exerceant. 6. Hæreticis non permittatur ingressus in Ecclesias. 7. Hæretici nonnisi post ejuratam hæresin et perceptum fidei Symbolum recipientur per Unctionem. 8. Cataphryge venientes instruantur et baptizentur. 9. Ecclesiastici ad hæreticorum speluncas orationis causa eantes priventur communione per tempus. 10. Matrimonia cum hæreticis non ineantur indifferenter. 11. Non ordinentur Presbytere. 12. Episcopi legantur judicio Metropolitanus et Episcorum Comprovincialium. 13. Electio Sacerdotum non permittatur multitudini. 14. Sacra mysteria, Eulogiarum nomine, tempore Paschali non mittantur ad alias Ecclesias. 15. Præter Cantores ordinarios, alii non descendant ambonem, psallendi causa. 16. Sabbato legantur Evangelia cum aliis Scripturis. 17. Psalmorum interstitia observentur. 18. Ad Nonam et Vesperas eadem semper preces fiant. 19. Modus et ordo precum post Homilias, et hominum ad altare accessus ordinetur. 20. Presbyteri a Diaconis, et his a Clericis inferioribus exhibeatur honor. 21. Subdiaconi non habeant locum in Diaconi, nec tangant vasa sacra. 22. Nec Subdiaconi. 23. Nec Lectores aut Cantores obeant ministerium cum orariis. 24. Clerici, nisi itinerantes, in tabernis non comedant. 25. Subdiaconi abstineant a danda benedictione. 26. Non ordinatus non exorcizet. 27. Ad Agapas vocati non tollant secum partes. 28. Agape non fiant in Ecclesia. 29. Sanctificetur dies Dominica, non Sabbathum more Iudaorum. 30. Christiani lavaera cum mulieribus non frequenter. 31. Si contrahantur conubia cum hæreticis, hi spondeant se fore Catholicos. 32. Non capiatur benedictio ab hæreticis. 33. Caveatur a communione cum hæreticis vel schismaticis. 34. Prohibeatur accessus ad sepulchra pseudomartyrum. 35. Malorum Angelorum cultus, antiquis hæreticis frequens, interdictus esto. 36. Clerici sub excommunicationis poena abstineant a magia, incantatione et usu phylacteriorum. 37. Iudaorum aut hæreticorum dona festiva non accipiuntur, nec festa cum iisdem celebrentur. 38. Nec azyma admittantur a prioribus. 39. Gentilium nec festa colantur, nec communicatio cum istis fiat. 40. Episcopus vocatus adsit Concilio, nisi ægritudine impediatur. 41. Clericus nec absque litteris canonice. 42. Nec præter Epis-

copi sui jussionem peregre abeat. 43. Subdiaconi non deserant Ecclesiae januas. 44. Mulieres accedere ad altare, aut officium viris proprium agere ne ausint. 45. Post duas quadragesimae hebdomadas nemo baptizetur. 46. Baptizandus fidem discat, et doctrinæ specimeū ſeria 5<sup>a</sup> majoris hebdomadæ edat. 47. Aegri baptizati, sanitate redditæ, doceantur fidem, et discant. 48. Baptizati post lavacrum chrysmentur. 49. In quadragesima non fiat oblatio, nisi Sabbato et die Dominica. 50. Die Jovis Sancto non solvatur jejunium. 51. In quadragesima Sanctorum memorie transferantur in Sabbathum vel Dominicam. 52. In eadem nuptiæ et natalitia non celebrentur. 53. Christiani in nuptiis etiam abstineant a plausu et saltu. 54. Clerici nullis spectaculis intersetint. 55. Nec Clerici nec laici celebrent convivia ex collatis Symbolis. 56. Ante Episcopi ingressum Clerici non intrent sacrarium, nec sedeant. 57. Non constituantur Episcopi in villis aut agris; nec Presbyteri sine præcepto aut consilio Episcopi agant quidpiam. 58. Oblationes non fiant in domibus. 59. Psalmi non sacri absint ab Ecclesiis, ibique soli Canonici libri legantur. 60. CANON Librorum Canoniconum hic describitur.

## CODEX ECCLESIAE AFRICANAÆ.

CANONES SYNODO AFRICANAÆ 6<sup>æ</sup>, SUB AURELIO 18<sup>æ</sup>, AN. 419. A 217. PP. CELEBRATÆ ATTRIBUTI. 1. Statuta Conc. Niceni serventur. 2. Trinitas personarum in Divina unitate predicitur. 3. Episcopi Presbyteri et Diaconi servent continentiam. 4. Idem abstineant ab uxoribus. 5. Clericis cavendum ab avaritia et usura. 6. Chrysma a Presbyteris non conficiatur. 7. Absente Episcopo Presbyter penitentem periclitantem reconciliet. 8. Criminosus non permittatur accusare Episcopum aut Presbyterum. 9. Excommunicatus a suo Episcopo non recipiatur ab alio. 10. Presbyter ab Episcopo correptus et separatam congregationem faciens puniatur. 11. Idem faciens schisma, nec causam vicinis Episcopis committens, amittat locum et anathemati subsit. 12. Episcopus, extra synodi tempus, in reatum lapsus audiatur a duodecim Episcopis. 13. Episcopus ordinetur a pluribus, aut saltem a tribus Episcopis. 14. Tripolitanæ Provincia Episcopus unus in legationem veniat, Presbyter et Diaconus ibidem pauciores habeat judices. 15. Clerici declinato judicio Ecclesiastico civile eligentes, puniantur. Sacerdotum filii spectacula nec exhibeant nec spectent. 16. Clerici majores non sint conductores aut prœcuratores: Lectores puberes ducant uxores, aut continentiam profiteantur: Diaconi et Virgines ante annum 25<sup>um</sup> non ordinentur aut consecrentur. 17. Provinciæ distantes proprium habeant Primate. 18. Dum ordinatur Clericus, moneatur servare constituta: Nec Eucharistia nec baptismus detur defunctis: Singuli Episcopi convenient ad Concilium Metropolitani. 19. Episcopi accusati causa deferatur ad Provinciæ Primate. 20. Presbyter aut Diaconus accusati judicem habeant Episcopum proprium cum vicinis Episcopis vel Presbyteris. 21. Filii Sacerdotum non jungantur matrimonio cum haereticis. 22. Clerici haereticis etiam consanguineis nihil conferant. 23. Episcopi sine consilio et litteris formati Metropolitæ trans mare non abeant. 24. Praeter Scripturas Canonicas in Ecclesia legatur nihil: earum CANON hic recitatur. 25. Subdiaconi, cum habentibus ordines majores, servent continentiam. 26. Res Ecclesiae nemo distrahat, nisi cum consensu Primatis. 27. Presbyteri et Diaconi

## CODEX CANONUM ANTIQUUS.

gravioris criminis convicti, non tamen redigantur ad poenitentiam publicam: Rebaptizati non ordinentur. 28. Presbyteri aut minores Clerici, appellantes ad transmarina judicia, priventur communione. 29. Excommunicatus, ante audientiam communicans se ipsum damnat. 30. Accusator sequatur locum vel forum accusati. 31. Clerici, renuentes ad maiores ordines ex mandato Episcopi ascendere, prohibeantur exercere sui ordinis ministeria. 32. Clerici bona Ecclesiastica acquisita dent Ecclesiae: de bonis vel ex liberali donatione vel ex haereditate acceptis disponant conformiter suo statui. 33. Presbyteri res suæ Ecclesiae non vendant; Episcopi res Ecclesiae matricis non usurpent.

## CANONES EX PLENARIIS AFRICÆ CONCILIIS IN EADEM VEL ALIA SYNODO COLLECTI.

34. In Concilio Hipponeſi (an. 397. celebrato) nihil corrigatur vel addatur. 35. Episcopi et Clerici filios suos non facile emancipent. 36. Idem non ordinentur ante suorum ad fidem conversionem. 37. Praeter panem et vinum aqua mixtum nihil offeratur in missa. 38. Clerici et continentes, nonniſi comitati et sciente Episcopo, accedant ad Virgines et Viduas. 39. Ne quidem primæ Sedis Episcopus vocetur Princeps Sacerdotum aut summus Sacerdos. 40. Clerici, nisi peregrinentur, tabernas non adeant. 41. Sacrificia celebrentur a jejunis. 42. Nulla in Ecclesiis celebrentur convivia. 43. Poenitentiæ tempus definiatur ab Episcopo: reconciliatio non fiat a Presbytero, nisi Episcopo absente: reconciliando imponatur manus ante absidem, seu chorum Ecclesiae. 44. Virginēs, parentibus mortuis, commendentur feminis gravioribus, et una habitent. 45. Aegroti loquela privati, testantibus de eorum desiderio aliis, baptizentur: histrionibus ac ceteris hujusmodi negetur reconciliatio. 46. Passiones Martyrum in Ecclesia legere licet die anniversario. 47. Qui apud Donatistas baptizati sunt parvuli, ordines suscipere possint. 48. Non fiant rebaptizationes, reordinationes, nec translationes Episcoporum. 49. Episcopus non ordinetur a paucioribus quam a tribus Episcopis. 50. Quatuor aut quinque Episcopi sufficient pro Episcopo eligendo. 51. Ecclesia Carthaginensis enuntiet in Africa diem Paschatis. 52. Provincie visitentur tempore Concilii. 53. Dioeceses particulares, nisi ex consensu Episcopi proprii, non accipiunt Episcopum. 54. Alienus Clericus non admittatur ab alio Episcopo. 55. Episcopo Carthaginensi licet ordinare alienigenam Clericum. 56. Ordinatus ex proprii Dioeceseos Episcopi consensu Episcopus propriam Dioecesin exigendius non habeat. 57. Amplificatur Can. 47<sup>æ</sup>. 58. Rogentur Imperatores, pro abolendis idolorum reliquiis et templis; 59. Pro liberandis Clericis a ferendo testimonium in publico; 60. Pro conviviis paganorum prohibendis; 61. Pro spectaculis a die Dominico et Festo amoendis; 62. Pro Clericis criminosis non defendendis; 63. Pro histrionibus, ad fidem conversis, ab infamia eximendis; 64. Pro manumissionibus in Ecclesia celebrandis; 65. Pro Equitio, Episcopo damnato, comprimendo. 66. Cum Donatistis agatur lenius. 67. A Judicibus petatur notitia actorum a Maximianistis. 68. Clerici Donatista conversi recipientur in Clero. 69. Dirigatur ad Donatistas legatio, pacis compendiae ergo. 70. Congruit cum 23<sup>o</sup>. 71. Nemo diutius absit a sua Ecclesia. 72. Absque scrupulo baptizetur, de cuius baptismo est dubium. 73. Indicetur dies Paschalis: dies Concilii designatus observetur. 74. Episcopus vacanti Cathedrae datus Vicarius, hanc non retineat; sed eligi Episcopum curet. 75. Defensor Ecclesiarum ab Imperatore postuletur. 76. Episcopi ad Concilia veniant, aut justas absentiae causas perscribant. 77. Cresconius citetur ad pro-

ximum Concilium. 78. Disponitur de Ecclesia Equitii. 79. Clerici intra annum causam suam dicere negligentes, non audiantur postmodum. 80. Ex alieno Monasterio suscepti nec præficiantur Monasterio, nec ordinentur. 81. Episcopo, hæreticos vel paganos hæredes sribenti, dicitur anathema. 82. Repe-titur Canon 64<sup>us</sup>. 83. Memoriæ Martyrum falsæ aboleantur: novæ autem caute permittantur. 84. Idolorum reliquiæ extirpentur. 85. Ab Episcopo Carthaginensi subscibantur, si opus fuerit, litteræ, omnium Episcoporum nomine. 86. Ordo Episcoporum desumatur a tempore ordinationis. 87. De causa Quodvultdei Ep. disponitur provisorie. 88. Agitur de cessione facienda a Maximo. 89. Episcopi ordinati accipiant ab Ordinatoribus litteras testes cum die et Consule. 90. Qui vel semel legit in Ecclesia, ab alia in Clerum non recipiatur. 91. Episcopi in sua civitate convenienter Donatistarum præpositos; ad pacem tentandam. 92. Conventionis forma præscribitur. 93. Instructio, legatis contra Donatistas ad Imperatorem missis data, recitat. 94. Index canonum in Concilio, expressis solis titulis, describitur cum correctionibus. 95. Concilium universale, nonnisi urgente necessitate, est faciendum. 96. A judicibus electis non liceat appellare. 97. Pro causis Ecclesie constituentur defensores Scholastici, seu Advocati. 98. Parochiæ, quæ non habuerunt Episcopum, talem non accipiunt, nisi Primas et Episcopus, intra cuius Diœcesin Ecclesia est sita, consenserint. 99. Parochiæ Donatistarum conversæ, si habeant Episcopum, illi relinquuntur: si non habeant, vel sine Episcopo maneat, vel ad vicinum Episcopum se adjungere permittantur. 100. Mauren-tio postulanti dantur judices in sua contra Xantippum causa. 101. Littere decernuntur pro pâce Ecclesiam Romanam inter et Alexandrinam concilianda. 102. Dimissus ab uxore aut a marito dimissa reconcilientur aut alteri non jungantur. 103. Preces in Ecclesia, nonnisi approbatæ in Concilio, adhibeantur. 104. Postulare ab Imperatore judicium Episcopale, non autem publicum, liceat. 105. Qui in Africa non communicant, communicare trans mare non præsumant. 106. Pergens ad Imperatoris comitatum vel Romano vel Carthaginensi Episcopo reddat rationes. 107. Causam Episcopi cognoscere, non unius, sed plurium sit Episcoporum. 108. Adoptatur Africæ Concilium contra Pelagium et Celestium celebratum. 109. Inde statuitur, Adamum a Deo non factum mortalem; 110. Parvulos in remissionem peccatorum bap-tizari; 111. Gratiam Dei remittere peccata, et præstare adjutorium, ne peccetur; 112. Gratiam tribuere scientiam et inspirare charitatem; 113. Si pœna nihil boni posse impleri; 114. Humilem et veracem esse Sanctorum vecem hanc, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; 115. Sanctos etiam pro se postulare in oratione Dominica, Dimitte nobis debita nostra; 116. Idem a Sanctis orari veraciter. 117. Ecclesia Donatistarum conversa pertineat ad cathedralm, ad quam Catholica ibidem jam extans, spectat. 118. Divisio Diœceseos decernitur et regulatur, ubi Episcopo Donatista converso, duo in eadem Diœcesi erant Episcopi. 119. Episcopus, per se liberatam ab hæresi Ecclesiam triennio possidens, eamdem retineat. 120. Nemo Episcoporum irruat in Ecclesiam controversam, sed causam in Episcoporum judicio decerni curet aut expectet. 121. Episcopus, subditos sue Ecclesiæ convertere negligens, moneatur a vicinis Episcopis: illo negligentiam non emendante, quicumque conversionem efficerit, subditos facit suos. 122. Repe-titur Can. 96<sup>us</sup>. 123. Episcopus suam Diœcesin negligens excommunicetur.

124. Episcopus, Donatistas communicasse mentiens, Episcopatum amittat. 125. Presbyteri et Clerici appellant tantum ad Concilia Africana. 126. Liceat Episcopis velare virginem viginti quinque annis minores, urgente necessitate vel periculo. 127. Ne ob Concilium Episcopi diutius absint, ex qualibet provincia illuc mittendi legentur tres. 128. Ad accusationem non admittantur excommunicati; 129. Neque servi, liberti, aut infames; 130. Nec, qui in probatione unius criminis defecerint. 131. Qui accusatores esse nequeunt, nec testes sint, et supra annum etatis 14<sup>us</sup>. 132. Ob crimen, quod Episcopus sibi soli detectum fatetur, nemo excommunicetur. 133. Non temere quispiam communione privetur. 134. Recitantur Litteræ Concilii ad Bonifacium R. P.; 135. Cyrilli Alex. de canonibus Nicæni ad Africanos; 136. Attici Constanti-nopolitani ad eosdem; 137. Exemplar Conc. Nicæni; 138. Litteræ Conc. Africani ad Cœlestinum Rom. Pontificem.

Quæres: Quænam sit Theologorum et Canonistarum auctoritas, indeque fluens argumentationis rectitudo et Cautela?

234. Nota. Quæ est Theologiæ et Jurisprudentiæ Ecclesiasticae ex nuper dictis auctoritas, non eadem est THEOLOGORUM ET CANONSTARUM; cum hi principia earum subinde vel non sequantur, vel non assequantur. Principia utriusque discipline propria esse diversa, patet ex præmissis: unde quanvis sub Capitis proloquio monuerimus Theologum citra Juris Ecclesiastici petritiam, et vicissim Jurisperitum sine Theologia perfectum non esse, pro more tamen hactenus tractate a nobis geminæ scientiæ, utriusque etiam cultores et magistros seorsim hic et distinctos spectabimus. Eos cætera in præsens supponimus viros Catholicos, prudentes ac probos, atque disciplinæ, quam nomine et officio profitentur, non gnaros tantum, sed et ejusdem principiis utentes: qui enim conditionibus his carent, eorum rationem habendam esse nullam, prævie jam damus.

235. Respondeo I. THEOLOGI et CANONISTÆ, in sua quilibet facultate et pro materia sibi propria, habent auctoritatem. Ratio est; tum quia doctissimis quibusque sua in arte habenda est fides; cum cujusque rei cognitio non aliis certius meliusque obtingat, quam ejusdem rei studiosis ac peritis: tum quia Pontifices et Concilia etiam œcuménica, præsertim posteriora, in decernendis questionibus dogmaticis et canonibus statuendis, illorum iudicia sibi et perquirenda et sequenda censuerunt: tum quia Ecclesiæ Doctoribus et Sancis Patribus iidem, in minore tamen auctoritatis gradu, successerunt; ut Greg. L. 36. Mor. c. 47. similitudine virgulorum ex succisis arboribus annosis succrescentium declarat. Quare fundatum in hujusmodi auctoritate argumentum est probabile; cum probabilitas argumenti extrinseca desuntur ab auctoribus fidem merentibus.

Non tamen sufficiunt 1. Auctores qualescumque, sed graviores tantum ac illi, qui prudenter aestimari poterunt, et ratione doctrinae sue potuisse, et ratione probitatis voluisse, et ratione diligentie ac prudentiæ re ipsa non omisso recte examinare questionem propositam: 2º. Nec sufficit Auctor unus; prout notare licet ex hac ab ALEX. VII. damnata propositione, quæ num. 27<sup>a</sup> sic habet: Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio

*censeri probabilis; dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tanquam improbatum. Quid tamen de auctore unico quidem, sed omni exceptione maiore, dici possit, vid. in Tr. de Act. hum.*

236. *Respondeo II.* Auctoritas THEOLOGORUM et CANONISTARUM nec semper crescit ex numero; nec major etiam, si contradicant alii, est irrefragabilis. *Ratio primi* est; tum quia in utraque disciplina, ubi auctores non sunt meri testes traditionis aut praxis, non tam numeranda quam ponderanda sunt suffragia: tum quia numerum subinde faciunt vel jussi jurare in verba scholæ aut magistri, vel soliti præeuntem sequi turmatim ut grues aut oves, vel dotibus non pollentes aut quandoque cum bono Homero dormitantes: quorum primi auctoritatem duntaxat sui magistri obtinent, medii absque examine prouentes vix ullam merentur, postrem illam vel non possident vel amittunt. *Ratio secundi* est; tum quia Theologorum et Canonistarum auctoritas nunquam est æqualis auctoritati Patrum, sed inferior: tum quia scholæ sæpius integræ opponuntur scholis, atque in pugna hujusmodi etiam inæquali auctoritas Doctorum ad faciendam fidem plus non valet, quam ratio illorum probet: tum quia patet experientia, sententias olim multorum jam antiquatas, paucorum autem invaluisse. Itaque argumentum ex auctoritate multorum, seu unam scholam conficientium seu ex diversis in aliqua opinione consentientium, contra alias scholas aut viros graves alios, non est certum, ac sëpe ne probabilius quidem. *Præterea*

Sequitur 1º. præjudiciis illos male abripi, qui alterius vel scholæ vel opinionis viros aut doctrinam vituperant, aut notis facile impetunt: 2º. observandum etiam esse ab Ecclesiarum præsidibus monitum illud, quod Benedictus XIV. Lib. 7. de Syn. Diœces. c. 11. §. 2. circa contendentes inter se Theologos præscriptis.

237. *Respondeo III.* Auctoritas THEOLOGORUM aut CANONISTARUM in sententia, quantumvis ab Ecclesia nondum definita, conspirantium est tanta, ut illi refragari sit temerarium. *Ratio* est; tum quia imprudentiae aut insolentiae genus videtur, nolle acquiescere concordi peritorum suffragio: tum quia res satis perspicua censeri potest, in qua diversarum scholarum sectatores aut alia in cæteris passim dissentientes convenient: tum quia Conc. Viennense ob concordem suæ ætatis Theologorum sententiam, rem licet sub opinionis tantum gradu assertam, proposuit tamen omnibus tenendam. Hinc quod in notata etiam materia ex concordi Theologorum aut Canonistarum sententia fit argumentum, vel moraliter certum est, vel saltem unice probabile.

Est tamen 1º. cavendum, ne unanimis Doctorum consensus nimis confidenter aut temere asseratur; nisi saltem inspectio præcipuorum aut magis celebrium auctorum de reliquis id contestantium fidem fecerit: sicut nec curandum, si unus aut alter obscurioris nominis auctor, absque efficacibus rationibus et responsis, contra torrentem nitatur et extra chorum communem saltet. 2º. Observanda est auctorum sive asserentium sive contrarianum ratio enuntiandi, an absolute scilicet edisserant ac simpliciter, an cum modo: an tanquam de fide, fidei proximum, certum, probabilius, probabile etc.

238. *Respondeo IV.* In iis, quæ ad fidei dogmata aut morum principia pertinent, indequæ indubie deducuntur, unanimis THEOLOGORUM sententia majorem etiam auctoritatem habet ac tantam, ut eidem contradicere saltem hæresi aut errori proximum videatur. *Ratio* est; tum quia unanimis ejusmodi consensus est testimonium plusquam probabile, articulum, in quem consentitur, esse traditum; *Quod enim*, ut TERTUL. L. de Præscript. ait, *apud multis unum invenitur, non est erratum sed traditum*: tum quia sententia Theologorum concors, et erronea, in errorem induceret Ecclesiam; sive quod ejus Pastores docendo, prædicando, et adhortando ovibus instillarent unanimia Theologorum asserta: sive quod Ecclesia nunquam repudiet concors Theologorum placitum, sic tamen statuente Can. 3. Dist. 83., *errorem, cui non resistit, approbat, et veritatem, quam non defendit, opprimet*. Inde patet, argumentum ex ejusmodi unanimi conspiratione deproprium omnino pro certo esse habendum.

Neque pro hac auctoritate necessarium est CANONISTARUM suffragium; quia quod Melch. Canus L. 8. de Loc. Theol. c. 7. inquit, in his, quæ ad fidem pertinent, Jurisconsultorum auctoritate Theologus non eget: quin potius eorum titulorum expositionem Legis peritus a Theologo mutuari debet. Eamdem in rem Benedictus XIV. tum Card. Dominici Pinellii sententiam adducit, tum ipse enuntiat Inst. Eccles. Inst. 57. scribens, ad Theologum pertinere, dogmata proferre in medium atque de illis disputationem insti-tuere; Canonum interpretarem autem ea habere pro certo, et ea Theologia desumpta. Quibus dictis simile aliud in Pref. ad Comment. de Fest. Domini videre licet.

239. *Observa.* Facultates suis in censuris ac responsis eadem gaudent auctoritate, quam Theologis aut Jurisperitis pluribus supra tribuimus. In his tamen Facultatum sententiis, pro merito aestimandis, attendere oportet 1º ex parte rei, ad rationum momenta, quies nititur doctrinale judicium: 2º ex parte judicij; an fuerit unanime, legitime latum, etiam liberum tum a præjudicio Scholæ, tum a dominatu eujuscumque sive intra sive extra congregationem erga consultantes prævalentis: 3º ex parte personarum; an suffragatores sint numerosi, an eruditio[n]is ac sapientiae fama florent, an valeant usu rerum et experientia etc.

### CAPUT III.

Rationem humanam, contra, ac in tractatus ingressu factum est, Historiæ præponimus, eo quod ampliores quam alias usus habeat, et diffusa ad scientias significatione, illam hic accipere materia superstes jubeat. Constat autem Rationem humanam sub hac latitudine sumptam non minus ac historiam a sacris Libris distinctam locos Theologie extraneos constituere et ex alienis disciplinis assumptos: unde de utraque dicturi duntaxat sumus uni-